



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 4. Religio Suecorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

MERCES. Corium, pelles magni precij; butyrum, adeps, cera, æs, equi, adeps vituli marini, trabes ad malos nauium.

Nundinæ h̄ic duæ celeberrimæ, Vpsaliæ altera *Djſting* dicta ad festum Epiphaniæ; altera in lacu Melero ad urbem Stren-
gam, præcipitante anno; vtraque in aquis glacie concretis cele-
bratur.

§. 4. *Religio Suecorum.*

AD eam promouendam plurimum laborauit Ludouicus Pius Caroli Magni filius, sed ea clam in eas regiones irrepebat, donec Sacerdos illius magnificentissimi Templi, non procul ab urbe Si-
etona, vel Birka factus cæcus monitus est à B. Virgine, ut filium suum coleret, eique visum restituit, exinde enim Sueci sacris aquis omnes penè intincti: perdurauitque Religio, donec Rege Gustavo Erici filio, h̄ic rerum potiente, inducta Lutherana pestis sub nomine Confessionis Augustanæ; bona Ecclesiæ direpta, & addicta fisco aut proceribus distributa, multis ex plebe, & rusticis Catholicam fidem retinentibus, quam ad posteros propagant, & ad nostra littora appulsi magni faciunt, ut legere est apud Flori-
mondum Remondum in libro de Hæresi nascente.

§. 5. *Politia Suecorum.*

REIP. Suecicæ 6. status; Principes Hæreditarij, Nobiles, Clerus, Milites, Mercatores, Ruricolæ. Regis primogenitus hæres est regni, reliquis Regis liberis Ducatus cedunt, Dos filiabus, con-
stitutionibus regni decernitur 100. millium thalerorum vulgo. Olim eligebatur Rex, nunc succedit, sed priùs iurat in Confessio-
nem Augustanam, & leges regni. Nobiles sufficient ampliores magistratus, quorum præcipiuus *Dorſeth*, quem Archidapiferum, melius Proregem dicerent; is olim monebat Regem si quid inle-
ges peccaret: sequuntur Marescallus, Admiralius, Cancellarius, &c. Reliqui Nobiles diuiduntur in Comites, Barones, Equites Auratos, & communem nobilitatem, dicimus nos *Escuyers*.

In Sueciâ & Gothiâ expediti, & parati pedites 22400. Sola ta-
men Smalandia rebus exigentibus 30. millia sufficere potest. 50.
naues bellicæ instructæ semper stant in anchoris. In arcibus suis &
urbibus Rex habet 8. millia tormentorum bellicorum, 400. in
vno caſtro Stocholmensi.